



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Cùm autem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

dum publica acta & allegata iudicauit; tunc executor, si facile errorem ostendere non possit, recte eam exequitur, iuxta ea quae dixi cit. c. 2. n. 8. & tradit Suar. cit. sect. 15. n. 7. ubi id declarat in sententia excommunicationis, si executori mandetur, ut eam denuntiet, qui scit materialiter iniustam esse, latam tamen secundum allegata & probata: imò etiamsi de hoc dubitet, & executionem subterfugere non possit. Quia in causa dubia Superiori parendum est, arg. huius §. *Quia non cognitio, sed executio mandatur eidem.* Vel est formaliter iniusta, quia Iudex ex imperitia, aut dolo ita iudicauit, tum deputatus ad exequendum, si onus à se rejicere non possit, neque etiam tanquam grauatus ad Superiorem facile appellare, tum exequi potest. Ratio est: Quia veluti iure debitum est, ut postquam sententia in rem iudicatam transit, executioni mandetur. Condemnatus autem partim sibi imputare debet, quòd intra tempus ipsi concessum non appellarit: partim verò adhuc remedium habet, ut contra Iudicem agat ad damni illati refartionem, uti hic Gl. notat ver. sciat, in fine, Abb. num. 5. & docui cit. cap. 2. quæst. 3. num. 10. Quia sententia Iudicis, à qua appellatum non est, non ita transit in rem iudicatam, ut naturalis obligatio tollatur, iuxta l. Iulianus, 60. ff. de condict. indebiti, ubi dicitur, quòd sententia Iudicis debitorem absoluendo, nō faciat, ut non sit debitor.

Porro quod Syl. monet ver. Iudex, 1. in fine, Iudicem delegatū, qui ex necessitate cogitur causam suscipere, si per imperitiā erret in iudicando, excusatū esse, quando assessoris, seu consiliarij, qui pro idoneo haberi solet, consilium securus fuit; hoc non ita locum habet in delegatis Papæ, quippe quibus ratione dignitatis suæ, in qua constituti sunt, incumbit, ut se idoneos reddant ad causarum sibi delegatarum cognitionem. Verum tamen est, quòd delegatus, sicuti & ordinarius Iudex, quandoque excusetur, si in re dubia aliorum Doctorum, seu Consiliariorum sententiæ bona fide acquiescat.

## §. Cùm autem.

**A**ccidit interdum, ut partes malitiosè & procurent Iudicem ad eum diem, ad quæ citati sunt, à Rege vel Archiepiscopo euocari; decernit Innoc. si Iudici delegato talis fraus partis litigantis perspecta fuerit, eam competenter puniat, & ne commodum ex malitia sua reportet, causam alteri Iudici neutri parti suspecto ad eundem diem cognoscendam, remota appellatione committat: nisi vtraque litigantium pars consentiat, ut lis prorogetur.

**NOTANDVM Vn.** Casus est specialis, in quo subdelegatus à delegato Papæ procedere potest, remota appellatione, ipso iure talem facultatem committente. Ratio afferitur: Quia æquum non sit, ut pars vna ex propria fraude commodum ferat, cum alterius partis incommodo. Quæ ratio tum maximè locum habet, si etiam Iudici delegato causa commissâ fuerat, remoto appellationis remedio.

## CAPITVLVM XXIX.

### Ex literis.

#### PARAPHRASIS.

Controuersia de canonicatu erat inter Antonium, & Canonicos S. Iustinianæ: Eam Pontifex ad petitionem Canonicorum commisit Primicerio Grandensi, & Pribano S. Sophiæ: Postea verò Antonius alias literas super eadem causâ impetruit ad Archipresbyterum Paduanum. Is procedens in ea causa, in Canonicos S. Iustinianæ excommunicationem promulgari curauit, eò quòd Antonium in Canonicum recipere nollent. Sed priores illi deputati Iudices mandarunt Patriarchæ Grandensi, ut dictos Canonicos excommunicatos non esse declararet, ac demuntiarer: eò quòd literæ posteriores, in quibus de prioribus nulla mentio fiebat, subreptitiæ essent, per quas nulla Archipresbytero potestas collata sit. Cùm verò Patriarcha mādaturū exequi vellent, Archi-